





Bi 39. num. 7
1754, 3 9

21

P. 258.

DE
IVRE COGENDI SVBDITOS

AD
INCOLATVM

ET
FAMVLITIVM

PRAESIDE
VIRO

EXCELLENTISSIMO ATQVE AMPLISSIMO
IOANNE FRIDERICO POLAC

I.V.D. PROF. IVR. ET MATH. PVBL. PRVSS. ACADEMIAE
SCIENTIARVM SOCIO

DIE VIII. OCTOBR. MDCCLIV.

DISPV TAT

AVCTOR

SAMVEL AVGVSTVS GOLDBECK

STENDALIENSIS PALAEO-MARCHICVS.



FRANCOFVRTI AD VIADRVM,

TYPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI,

ACAD. REG. TYPOGR.



7

8

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

INSTITUTE OF THE HISTORY OF ARTS

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

INSTITUTE OF THE HISTORY OF ARTS

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

INSTITUTE OF THE HISTORY OF ARTS

D
P
M
E
MA
D



V I R O
ILLVSTRISSIMO ET EXCEL-
LENTISSIMO
D O M I N O
S A M V E L I
LIBERO BARONI
DE C O C C E J I,
POTENTISSIMI BORVSSIAE REGIS
CANCELLARIO MAGNO,
MINISTRO STATUS ET BELLI
INTIMO,
ECCLESIASTICORVM ET CIVILIYM
TRIBVNALIYM
PRAESIDI PRIMARIO,
MAGNI ORDINIS PRVSSICI AQVILAE NIGRAE
EQVITI,
DOMINO HEREDITARIO IN WVSSECKEN
KLEIST, REPKOV, LAAS,
RELIQVA,
PRIMVM


PRIMUM HOC STUDIORVM ACAD-
MICORVM SPECIMEN
IN DEBITVM OBSERVANTIAE
ET
DEVOTISSIMI CVLTVS TESSERAM,
CVM VOTO OMNIGENAE FELICITATIS
ET
LONGINQVAE SORTIS
IN MORTALIBVS

D. D. D.

DEVOTISSIMVS CVLTOR

SAMVEL AVGVSTVS GOLDBECK.





§. I.

Aurur de quibusdam effectibus dominicae potestatis dominorum germanorum in subditos, quos in praediis suis alunt, et in eos jure nostro exercent, ad principia romanarum legum non refugio, probe gnarus, quod haec jura ex reipublicae germanicae statu et moribus patriis repetenda, eisque omnia jura peregrina postponenda sint. Merito enim evitari debet in explicandis moribus patriis haecce Charibdis, in quam justinianae jurisprudentiae innutritos Doctores saepius incidisse comperimus, adplicando nimirum leges citra habitum respectum ad statum Germaniae: ex quibus omnibus tandem enatae tot confusiones ac errores; immo
A parum

parum abfuit, quin repudium dedissemus ipsis legibus nostris, tametsi causa dijudicanda inter Germanos.

§. II.

Idem fere contingit in doctrina de Servis Germanicis. (a) Quamvis enim in quibusdam cum Romanis conveniant in plerisque tamen jam tempore Taciti et subsequentibus diuersa apud utrasque gentes inuenitur seruorum conditio. Mansuetam tantummodo seruitutem prisca cognouit Germania, quum haud dura seruitia praestarent subditi, propria rura colentes, ex quorum fructibus certam portionem dominus sibi vindicare solebat. Clara sunt verba Taciti de moribus Germaniae c. 25. „Suam quisque sedem, suos penates regit. Frumenti modum dominus aut pecoris, aut vestis ut colono inungit, et seruus haec tenet, ut parat.“ Seucriorem vero post haec tempora seruitutem introduxit Chlodovaeus I. Rex Francorum circa annum 499. (b) Superatis enim apud Tolbiacum Germanis, victos in seruitutem redegit, adeo ut nec vlla bona, nec corporis quidem usum proprium iis relinqueret. Unde evenit, ut adhuc medio aevo serui Germanici in commercio essent, nihil hac in re diuersi a moribus Romanorum habentes. (c)

(a) Thomafius de homin. proprius.

(b) Chronic. Spirens. Lib. 2. c. 20. Tritheim. anal. Francor. Lib. I.

(c) Leyfer med. ad ff. pt. 5. p. 164.

§. III.

Posuere vero mox christianae religionis mitiora, naturalique aequalitati conformiora principia simul cum subsequenti-

quantibus gravissimis bellis seruituti huic iustiores terminos, et licet prioris Jugi vsque ad nostra tempora remanserint vestigia, tamen tolerabiliorem longe induere coepit faciem (a) Quo factum, vt vel serui libertatem sibi metipsis vindicarent, vel domini multa a pristina feueritate remitterent, immo quandoquidem ipsam libertatem licet imminutam largirentur (b); quibus nomen Laffen, quia in provincia ad excolendam terram relinquebantur, conuenire videtur. (c)

- (a) Graefe in D. de Jurib. praec. et singul. Jurisd. patrim. Reinhart in kleinen Ausführungen, p. 12.
 (b) Meuius vom Zustand und Abforderung der Bauern, p. 9. n. 25.
 (c) Wehner praet. obs. verbo Laffen.

§. IV.

Quemadmodum vero et antiquissimis temporibus et sub Francis vsque ad hodiernum diem omnis Germania in tot fuit diuisa provincias, et quasi in tot imperia, quorum quodque suis propriis regebatur iuribus, ita facile adparet, vel rusticorum seu fervorum nostrorum ruri degentium hodiernam conditionem in plerisque Germaniae locis non vniam eandemque sed saepe diuersissimam esse. Sic enim alii tantam consequuti sunt libertatem, vt soli imperatori pareant, licet protectionem principum vicinorum non respiciant, ideoque des heiligen roemischen Reichs Bauern adpellentur, quales in Franconia inveniuntur. (a) Alii eadem libertate sub imperio principum gaudentes agriculturae sese adplicant, et tantummodo ad communia subditorum onera contribuere solent, ideoque in Sueuia et alibi Freybauern adpellantur; alii censitici sunt, vt in Saxonia et

Mesomarchia; alii vero sic dicti homines proprii, qui anti-
 quis seruis et mancipiis maximopere similes, et in Germania
 septentrionali infrequentes non sunt. Nullibi tamen rece-
 ptum inuenimus jus omnimodae acquisitionis per Seruos,
 Romanis quidem usitatum; sed quidquid dominus in Germa-
 nia per homines proprios quoque acquirit, ultra adquestum
 per operas et intuitu praediorum iis concreditorum extendi
 non potest.

(a) Mager in tr. de advocat. armat. c. 6. n. 27.

§. V.

Attamen in dictis omnibus rusticorum speciebus rel-
 liquiae adhuc dominicae potestatis antiquae supersunt, quae
 vero pro modo libertatis concessae et comparatae vel magni
 momenti sunt, vel scintillae tantummodo illius videntur,
 ideoque rustici alibi nunc melioris, nunc deterioris condi-
 tionis inueniuntur. (a) Omnes tamen per certas praesta-
 tiones vel operas ad recognitionem imperii cuiusdam et po-
 testatis, vel si maius iurisdictionis erga dominum suum ob-
 ligati sunt; ad cuius potestatis dominicae effectus praeci-
 puous refertur adhuc hodie Jurisdictio patrimonialis, quod
 nouum nomen est, et a Doctoribus inuentum, (b) nihilque
 aliud significat, quam Jus ipsis praediis cohaerens, vi cuius
 domini praediorum ipsam juris dicendi potestatem in subdi-
 tos exercent, eosque ad seruitia debita propria eaque judi-
 ciali potestate adigunt. (c) Quapropter ipsae operae debi-
 tae aliaeque praestations perperam a Graefio (d) Baltha-
 raro (e) aliisque ex hac iurisdictione patrimoniali deriuantur;
 quippe quae priores ipso nomine Jurisdictionis fue-
 runt,

runt, ideoque sicuti ipsa jurisdictio soli potestati dominicae adscribendae erunt. (f)

- (a) Cothmann consil. 42. n. 25.
- (b) Graefe in D. de Jurib. praec. et sing. jurid. patrim. §. 2.
- (c) Thomaf. de usu practico distinct. homin. in lib. et servos. c. 2. §. 68. 69. Boehmer in D. de Jure et statu homin. propr. S. 3. §. 5.
- (d) cit. Diff. §. 13.
- (e) In Tr. de operis Subditor. c. 7. p. 107.
- (f) Hertius in Dec. §. 28. n. 2.

§. VI.

Iisdem effectibus notissimis et dominica antiqua potestate adhuc vigentibus adnumeratur merito Jus cogendi subditos ad incolatum, de quo nobis hic primo loco agendi res est. Consistit vero hoc Jus inprimis in prohibitione, ne rustici, uti placet, ex praediolis discedere, talique modo haec inculca, desertaque reddere possint. Hinc jam Seneca (a) seruos Germanorum Custodes casae vocat. Utilissimum sane jus, si rusticos vel uti mancipia et homines proprios Leibeigene considerare velis, vel uti homines liberos. Vtroque enim casu sedibus ipsis semel assignatis immorari et agros conceditos secundum dominorum intentionem colere, nec vnquam pro lubitu discedere tenentur.

(a) Epist. 47.

§. VII.

Habent quoad hoc jus ad incolatum magnam adfinitatem Romanorum adscriptitii siue glebae additi secundum ea quae leguntur N. 123. c. 17. et l. 22. C. de agric. quae expressis verbis sancitum: adscriptitios „non habere licentiam

„tiam relicto suo rure ad aliud migrare, sed semper terrae
 „eos inhaerere, quam semel colendam patres illorum su-
 „sceperint“ et mox repetit imperator talem“ semper re-
 „petit imperator talem „semper remanere adscriptitiam et
 „inhaerere terrae, et se se celauerit, vel separare se cona-
 „tus fuerit, secundum exemplum serui fugitiui sese diuini
 „insidiis furari intelligatur.

§. VIII.

De coetero ex his romanis, jura nostra non deriuamus, quippe quae jam ante Iustiniani tempora, a qua praedicta lex proficiscitur, in Germania nostra in ipsis rerum obtinuerunt argumentis. Ita Germanici & imprimis Marchiae nostrae Brandenburgicae rustici, qui nec in plena libertate, nec in tam seuera seruitute constituti sunt, non vbique quidem eadem conditione in reliquis gaudent; (a) Interim tamen secundum quamcunque spectentur conditionem ab hoc jure ad incolatum exempti non censentur. Occurrunt vero primo loco Homines proprii, imprimis in Germania septentrionali et quod ad regiones Brandenburgicas attinet in Vcaro-Marchia, Neo-Marchia, Lusatia et Pomerania plerisque in locis sedes habentes. Praedia, quae ab hujusmodi hominibus propriis possidentur, spectant regulariter ad dominum, et de hoc solus dominus pro lubitu disponit; immo pars fundi sunt, rebusque accensentur, et in Pomerania pro talibus habentur, licet ipsum praedium emerint (b). Qua in re naturam adhuc veterum mancipiorum reservasse videntur, neque multum abhorrent a conditione Colonorum apud Romanos. (c) Possident vero hi homines

nes proprii praedia cum obligatione ad certas operas et alias praestationes, et sicuti domino placuerit, relicto inventario (Hoffwehr) discedere obstringuntur. (a) Verum quo strictiori jure erga dominum tenentur, eo arctius quoque obligantur ad incolatum, nec ulli integrum est discedere pro lubitu ex suis praediis, et si factum, vindicantur ut fugitivi aut aliae in commercium venientes res; sed expressa domini concessione indigent, sicuti quoad regiones Brandenburgicas in Vcaro-Marchia et regione Stolpiensi sancitum et tali modo privilegia Nobilium in dictis prouinciis denuo confirmata sunt, in der koenigl. Preuss. revidirten Gesinde-Bauer- und Hirten-Ordnung §. 5. p. 10. 11. verbis „Die „Unterthanen auch koenten ihre Hoefe nicht verlassen, ver- „kauffen, oder einen Gewaehrsmann in ihrer Stelle verschaf- „fen. Die Kinder waeren insgesamt alle miteinander ihrer „Eltern condition und eigene Leute, muessen in denen Gue- „tern, worunter sie gebohren, verbleiben &c. ja es koen- „te wieder der Obrigkeit Willen weder durch sie selbst, „noch durch Vorschub der Eltern keinerley Veraenderung „mit ihnen vorgenommen werden. Die Entlauffenden so- „wohl Eltern als Kinder wurden allemahl rechtlich vindi- „cirt, wowieder kein Curfus annorum statt finden koen- „te.“ Quae omnia variis adhuc judicatis confirmata inue- nient in Muelleri pract. Ciu. March. ref. 97. n. 20. Ejus- modi Ius etiam quoad homines proprios in Gallia, Gues- thalia, Geldria, Liuania, Polonia aliisque prouinciis obser- uari tradidit Struue in S. Jurispr. ex 3. th. 23. et ex 40. th. 70.

(a) Mueller in pr. civ. M. ref. 97.

(b) Boehmer T. III. pt. II. Dec. XI. num. 27.

(c) l. VII.

- (c) I. vn. C. de Colon. illyric. L. vn. C. de Colon. palaeft. Leyfer med. ad ff. p. 164. Sp. 65.
 (d) Schaeplitz in Confuet. March. pt. 4. T. 7. n. 6. Koeppen Dec. 44. n. 6.

§. IX.

Ab hiſce tamen hominibus differt altera ruſticorum ſpecies, quae in plaeiſque Brandenburgicis terris (a) et aliis Germaniaſe prouinciis occurrit. Hi proprius accedunt ad libertos romanorum et reputantur ratione ſtatus liberi homines, ideoque communibus ciuium iuribus fruuntur, quae in iure teſtamenti factionis, iure cum quouis contrahendi et ſucceſſionis conſiſtunt; inde etiam praedia ſua propria poſſident. Interim cum tamen ipſi fundo ſeu praedio adſcripti et hi alio reſpectu a priſtina ſeruitute aliquid retinuiſſe videntur. Inter alia etiam Jus ad incolatum cogendi Dominis in eos competit, vi cuius huiusmodi ruſtici, licet rerum ſuarum domini habeantur, inſcio tamen et inuito Domino praedia ſua vendere et alienare nequeunt, ſed ſine permiſſu illius ſedem mutantes vindicantur. (b) Haec tamen omnia ſalua ſequenti reſtrictione in Marchia noſtra valent: quod nempe ruſtici non aliter rerum ſuarum poſſeſſione exire poſſint, antequam alium ſubſtituerint, vel nouum idoneum poſſeſſorem praefiterint, bis ſie einen Gewährsmann geſtelleſt, ſicuti ſereniſſimus Elector Fridericus Guilielmus in ſeiner Gefinde-Ordnung d. a. 1645. T. 4. §. 12. ſancit verbis: „und nicht eher frey gelaffen werden, bis ſie „einen Gewaehrsmann geſchaffet.“ Quo facto pro lubito diſcedere poſſunt, et omnem penitus obligationis nexum exuunt. Hic vero magnam differentiam hos inter et homines

mines proprios inueneris, qui vt ex §. 8. adparet, ne quidem substituto alio, inuito Domino potestati illius se subtrahere possunt.

(a) Koeppen Dec. 13.

(b) Meuius vom Zustand &c. der Bauern, conf. Ober-Laufnizischen Landes-Ordnung, d. a. 1552. T. 2. it. Unterthanen- und Gefinde-Ordnung. d. cod. anno.

§. X.

Idem ius cogendi ad incolatum etiam rusticorum et hominum priorum vxores, quae ex naturalibus et christianae religionis principiis matrimonio inito sequuntur mariti conditionem, comprehendit. (a) Attamen si mulier libera nihil de statu illius, cum quo sponsalia celebravit, seruari sciverit, et in iusta ignorantia fuerit, matrimonium, ea nolente, locum non habet, quia hic error commissus circa illa, quae communiter ab omnibus tacite subintelligi solent. (b)

(a) Meuius vom Zustand &c. der Bauern p. 36. n. 144-151.

(b) c. 2. X. de Conjug. Serv.

§. XI.

Quod ad liberos illorum attinet, ii praedia paterna post obitum parentum colere, vel si recusent, alium substituere debent, quod itidem Seren. Elector Fridericus Guilielmus in Edict. d. d. 19. Mart. 1670. ita confirmauit et extendit,
 „dass wenn ein Unterthan, er sey Bauer oder Cossaethe ver-
 „stirbt, alsdenn zween desselben nachgelassene Söhne oder
 „Kinder sich unweigerlich unter ihrer Obrigkeit setzen sol-
 „len, dergestalt, dass einer seines Vaters Guth, so deren
 „noch eines vorhanden, beziehen müsse, und solches zwar
 B „ohne

„ohne Unterscheid, sie mögen ihrer Eltern Erbschaft an-
 „treten oder nicht. Nec liberantur etiam si aliud honestum
 vitae genus v. c. Opificium eligere velint, sicuti id senten-
 tiis Camerae confirmavit Muller in P. C. M. res. 97. n. 61.

§. XII.

Addamus pauca de modis, quibus hoc Jus finitur.
 Liberatur vero rusticus ab hoc nexu 1) si a praedio disce-
 dens, alium substituatur v. §. 10. 2) si ex gratia domini vel
 data pecunia per epistolam dimissoriam Latsbrieff concessio-
 nem causam possessionis mutandi sibi comparet 3) praescri-
 ptione, id est, si bona fide, quum se liberum hominem cre-
 diderit, et per viginti annos inter absentes et decem annos
 inter praesentes absens fuerit, quod non solum secundum
 Jus civile romanum ita se habet, (a) sed et secundum Jura
 marchica receptum est teste recessu provinciali Marchico d.
 ao. 1653. §. 2. in fin. ibi „würde jemand wieder die Leib-
 „eigenschaft possessionem libertatis opponiren, wird dazu
 „nicht allein diurnitas temporis, sondern auch bona fides,
 „justus Titulus vel scientia et patientia domini requireret
 „werden.“ Qui vero in mala fide sunt v. g. per fugam,
 hac praescriptionis exceptione non securi redduntur, quia
 sese diutinis insidiis furari intelliguntur. (b) Tricennalis
 quidem praescriptio locum habet in casu, si res dubia est,
 vtrum quis servus habendus sit, nec ne, et is interim praedio
 existit. (c) Referri etiam 4) huc potest, si rusticus praedi-
 um, quod a Domino tenet, refutat in locis, vbi moris
 est. (d) 5) Ex aequitate inducitur, ob enormem facultatem
 a domino perpetuam praedium a rustico derelinqui posse.
 6) Si rusticorum liberi studiis bonarum artium se tradant. (e)

Quid

Quid vero dicendum, si praedium igne, vel alio infortunio corruptum? Tunc rustici invito domino illud secundum consuetudines Marchicas derelinquere nequeunt conf. Müller cit. l. et ref. n. 52. 53. qui vero addit sententiisque Camerae confirmat, dominum in tali casu ad remittendam partem quandam operarum et praestationum teneri. Hoc vero ni fecerit, rustico dominio illius exire permissum est.

- (a) l. 2. C. de long. temp. praescript. quae pro libert. l. 16. §. 3. ff. qui et a quibus manum.
- (b) l. 1. r. C. de long. temp. praescript. quae pro libert.
- (c) l. 3. C. de praescript. 30. annor.
- (d) Meuius vom Zustand &c. der Bauern. p. 60. n. 52.
- (e) Brunnemann. ad l. vlt. C. de Mancip. et colon.

§. XIII.

Progrediamur adhuc ad Jus cogendi subditos ad Famulitium Dienftzwang tanquam alterum ex singularibus effectibus antiquae potestatis dominicae, de quo hic agendum est. Consistit vero hoc jus in potestate quadam possessoribus praediorum competente, vi cujus subditorum liberi adstringuntur ad operas suas locari solitas Dominis pro mediocri quadam mercede per certum temporis spatium praestandas. Haec quidem essentialia hujus juris dici possunt, quae tamen vt mox liquido adparebit, pro varietate ipsius conditionis, qua subditi in his vel illis provinciis fruantur, vel restricta vel adaucta multo inueniuntur.

§. XIV.

Vt vero romana a germanicis rite semper distingueri possimus, paucis praemittenda sunt, quae illic de famulicio

litio seruorum sancita deprehenduntur. Ibi omnia, quum patres matresque familias dignitati et conditioni suae liberae parum conuenire ducerent, ut vllis domesticis officiis fungerentur, quae domi peragenda occurrebant, seruis ancillisque committebantur. Tetegit hunc morem ipse Tacitus de Morib. G. c. 25., ibi „seruis non in nostrum morem de- „scriptis per familiam ministeriis vtuntur.“ Iis non extra dominicam domum degentibus, quae sibi curae cordique esse deberent, singulis praescriptum erat. Sic alii erant janitores, alii atrienfes, alii coqui, alii medici, alii cubicularii, alii ab epistolis, et quae alia huiusmodi officia sunt, quae passim in scriptoribus rerum et morum Romanorum occurrunt, et luculenter satis pertractata sunt peculiaribus libris a Tito Popma et Laurentio Pignorio. Notandum tantummodo est, quod seruis pro hisce operis nulla specialis merces comparata esset, sed a Dominis suis alebantur.

§. XV.

Sicuti vero romana Seruitus a germanica; ita etiam, quae maiores nostri de Jure famulitii statuere, ab illis longe discrepant. Prisca enim Germania non nouit domesticum famulitium a seruis praestandum, quod potius vxoribus et liberis demandatum intelligebatur. Clara hic sunt verba Taciti de M. G. c. 15. n. 2. ibi „delegata domus et penatium et aegrorum cura feminis senibusque. Additis iis „quae iam §. praecedente ex c. 25. allegauimus „Seruis non „in nostrum morem descriptis, per familiam ministeriis „vtuntur. Suam quisque sedem, suos penates regit. Frumenti modum dominus, aut pecoris, aut vestis, ut colo- „no

no injungit, et seruus haftenus paret. Cetera domus officia vxor et liberi ex sequuntur.

§. XVI.

Auctis vero familiis et irrepente omniaque ex superante luxu, qui tandem quamuis paulisper sero immigrauit, Germani ab hinc sequentibus temporibus adficiere in domos seruos quosdam, quibus nomen Gasindorum Gesinde (a) medio aeuo cessit. (b) Illi ex ipsis seruilis conditionis hominibus electi, et veterem statum semper retinentes, ex ingenuorum iuribus et commodis nihil plane sibi vindicare potuerunt. Conspecta vero exinde utilitate et accedente aliquando necessitate, licet seruitus apud nos quodammodo, et plerisque in regionibus si non abrogata, imminuta tamen sit, jus nihilominus ad famulitium cogendi subditorum liberos vsque ad haec nostra tempora retentum est.

(a) du Fresne in Gloss. sub voce Seruus.

(b) Hertius de homin. propriis. Heinecc. de orig. et indole jurisd. patr. §. 11.

§. XVII.

Competit ideo hoc jus dominis, vi illius potestatis dominicae antiquae. Sententia ideo Mülleri (a) aliorumque non satis firma sufficiensque videtur, rusticorum nempe liberos quasi in redhostimentum defensionis et educationis sub iurisdictione suorum nobilium factae, ad dictas domesticae operas praestandas ex sola aequitate teneri. Non enim sola aequitas, si qua ex allegato fundamento produci potest,

hic concurrat, sed consuetudo diu obseruata, et legibus dein expressis firmata hanc inprimis stabilire videtur.

(*) In P. C. M. ref. 97. n. 40.

§. XVIII.

Vix vero operae pretium esse videtur, si hic vllam de hominibus propriis mentionem injiceremus. Nescio enim quo pacto negari possit, immo in dubium vocari, quod horum liberi ad famulitium domino suo praestandum adstricti sint, quum satis notum sit, eos sequi parentum conditionem, qui quoad bona et operas dominorum sunt, indeque ad operas indeterminatas obligantur. (a) Quod juris communis effatum confirmatur adhuc ratione Juris Marchici a Seren. Legislatore in der revidirten Bauer &c. Ordnung §. 10. ibi „die Kinder insgesamt wären ihrer Eltern Condition und eigene Leute, müsten in denen Gütern, worin sie geböhren, verbleiben, und wären nicht nur schuldig, gewisse Jahre ihrer Obrigkeit zu dienen, sondern so lange sie dieneten, und nichts eigenes im Dorffe anfiengen.

(a) Struve in Synt. Jur. Civ. ex 3. §. 23. Graefe cit. §. XI.

§. XIX.

Ab his, vt jam supra dictum, v. §. 9. vel quoad famulitium rite distinguendi rustici die gemeine Bauern. Et enim contra illorum liberos solum ius praelationis competit domino in conducendis operis, cum salua perpetuo manet clausula, si eas extraneis personis locare velint, ad quas tamen hoc casu non refertur mater, licet in jure ciuili quodammodo

dammodo talis reputetur. (a) Ne hæc vero clausula otii
 et desidia occasionem pariat, si forsitan parentes liberorum
 operis non indigeant, liberi tamen eas locare nolunt, ad
 eas domino locandas, si ipsi libuerit, adstringi possunt. (b)
 Gaudent vero hoc jure, vt vicinas tantummodo attingamus
 prouincias, possessores praediorum nobilium in Saxonia in
 primis electorali, sicuti id clare definitum in ord. polit. de
 ao. 1661. T. 31. c. 3. vi cuius legis dispositiuae dominis
 etiam competit jus vindicandi eos, qui se hoc jure subtra-
 here volunt. (c) Ipsi vero ex reverentia, quam domino
 debent, operas locaturi, illi eas offerre tenentur. Qua
 oblatione facta Dominus intra XIV. dies se declarare tene-
 tur, vtrum iis uti velit, nec ne. Quibus etiam nulla de-
 claratione facta elapsis, vel operis a domino expresse re-
 nunciatis, rusticis, quibus eas locare velint, plenissime lice-
 bit. Ne illos autem dominus ad perpetua seruitia cogens
 conditioni eorum, qui glebae adscripti sunt, equiparet,
 ibidem constitutum, vt hoc Jus famulitii elapso biennio ces-
 set, et liberi rusticorum dominica domo exire possint.

(a) l. 3. J. de hered. qualit. Leyf. in med. ad ff. sp. 665. med. 25.

(b) id. cit. l. et sp. med. 26.

(c) Ord. polit. cit. §. 2. et sequ. c. 4.

§. XX.

Vel jure speciali patrio receptum videmus hoc jus,
 publicaque auctoritate confirmatum. Inuoluit vero apud
 nos 1) oblationem voluntariam a subditis faciendam, ante-
 quam alibi operas collocent, vti expresse in recess. March.
 in primis d. anno 1653. §. 24. dictum: „welche Untertha-
 „nen

„nen Kinder haben, deren sie zu ihrer selbst Arbeit nicht be-
 „dürffen, und zu Dienst bringen wollen, sollen sie vor allen ih-
 „rer Herrschafft zu Dienst anbieten um billigen Lohn, wo
 „aber die Herrschafft deren nicht bedürffe, alsdenn mögen sie
 „nach ihrem Gefallen, bey andern zu Dienst bringen und be-
 „stellen.“ Quam legem pragmaticam Serenissimus Legis-
 lator confirmavit in der revidirten Bauer- Ordnung §. 1.
 2) Spatium deliberandi concessum domino 8. vel 14. die-
 rum, intra quod declarare debet, vtrum oblatis operis vti
 velit, nec ne. vid. Ord. cit. §. 2. 3) Servitium domesticum
 pro justa mercede, quod Serenissimus Elector Fridericus
 Guilielmus in der Gesinde- Ordnung d. a. 1645. T. I. §. 1.
 trium annorum spatio absolvi iussit. Extensum vero illud
 est sequenti tempore revisione hujus ordinationis facta se-
 cundum verba §. I. ibi „und sollen sie dann auf Begehren
 „der Herrschafft deroselben vor allen andern, so lange sie
 „dienen können, und nichts eigenes haben, ohne auf ge-
 „wisse Jahre zu reflectiren, zu dienen schuldig seyn.“ 4) Jus
 vindicandi subditum fugitium, et sine concessione domini
 alibi operas suas locantem. secundum Ordinat. cit. §. 4.

§. XXI.

Modis, quibus hoc Jus famulitii vel plane cessat,
 vel instans finitur adnumeratur 1) lapsus temporis vel lege
 vel consuetudine praefiniti vti apud Saxones biennii v. §. 19.
 2) Si Subditus matrimonium init ex illius speciali favore
 per Ord. Pruss. cit. §. 3. ibi „wo sich dann auch ein Knecht
 „oder Magd in Zeit des vermieteten Dienstes würde ver-
 „ehlichen, sollen sie von ihrer Herrschafft zur Verhinde-
 „rung

„rung ihres zeitlichen Glückes, wenn sie ein Jahr ausge-
 „dient, oder im Jahr einen tüchtigen Dienstbothen ge-
 „schaffet, darüber weiterl zu dienen nicht gezwungen
 „werden.“ 3) Si dominus, qui juri suo pro se introdu-
 cto valide renunciare potest, huic operarum praestationi
 expresse vel tacite renunciet. 4) Si rusticorum liberi pa-
 ternum vitae genus seponant, et vel ad studia bonarum ar-
 tum animum intendant, vel honestum opificium eligant,
 et ab hoc nexu servili liberantur v. cit. ordinat. pruff. §. 1.
 „wenn dieselbe kein ander vitae genus honestum erwählen.
 Aliud obtinet in Saxonia conf. Leyser sp. 665. §. 25. Ta-
 lem vero non producit effectum renunciatio paternae here-
 ditatis a liberis factae, (a) quia liberi rusticorum talem con-
 ditionem, pro lubitu deponere nequeunt, qualem jura et
 mores iis imposuerunt.

(a) Ord. Pruff. cit. §. 3. ad fin.

§. XXII.

Hic pedem figam; pauca adhuc adjicere licebit de
 quaestione: an praesumptio sit pro rusticis vel contra eos-
 dem tam in omnibus causis operarum, et servitorum,
 quam in primis in Juribus incolatus et famulitii. Jcti hac
 in re in duas abeunt sententias; dum eorum quidam in li-
 bertate naturali se fundantes pro rusticis pronuntiandum
 esse censeant; (a) alii contra illos in dubio omnes servitiiis
 obnoxios praesumant. His vero historia antiquorum tem-
 porum succurrit, quae omnes, qui hodie rusticorum nomi-
 ne veniunt, olim apud Germanos dominicae potestati sub-
 jectos fuisse docet, indeque putant, eorum conditionem
 C talem




talem praesumi, donec rustici vel totam, vel particularem exemptionem quocunque modo impetratam probauerint. Militare saltem videtur pro hac sententia summa probabilitas ideoque eam ab omnibus fere hodiernis JCtis juris romani non plus quam par est sectatoribus, scimus receptam. (b)

(a) Brunnemann ad l. 1. C. ne rustici. Stryck in V. M. Tit. Si Servitus vindic. §. 1.

(b) Leyfer med. ad ff. sp. 16. Estor de praesumpt. contra rustic. in caus. operarum. Boehmer D. de Jure et statu homin. propr. Hertius resp. 167. Beier in Del. Jur. German. L. 1. c. 4. §. 13.





NOBILISSIMO
DOMINO RESPONDENTI

S. P. D.

PRAESES.

Exhibuisti mihi hanc tuam proprio Marte elaboratam Dissertationem, eo potissimum consilio, ut et linam ulteriorem ei ad-moverem, et simul praesidium meum ad eam publice defendendam accommodarem. Quibus tuis desideriis annuere eo minus dubitavi, quo rectius semper duxerim, adjuvare eos, qui, ut clarissimi juvenes solent, nomen et famam ex studiis petunt; nec quicquam mihi visam aut publice laetius aut optatius, quam ad recta tendentibus exemplar esse. Legi ac relegi has tuas mecum communicatas theses Juris Germanici, et quum in iis nihil deprehenderim, quod contra mores nostros aut saltem juris patrii analogiam sit, praeter verborum hinc inde adjunctam connexionem et Auctorum quorundam citationem, studio nihil mutavi nec adjeci, ut eo certius hoc specimen tuum vocari mereatur, quod vix de iis praedicari poterit, qui nomina Dissertationibus suis, et saepe tanquam Autores adscribunt, et praeterquam, quod per aliquot horas argumenta Opponentium adsumant, reliqua et rotam in publicum emissam Disputationem Praesidis committentes; id quod meo quidem iudicio Specimen eruditionis Praesidis, non Respondentis esse videtur. Agis de quibusdam in Germania adhuc obvenientibus effectibus dominicae potestatis, adducens eum in finem Jura maxime

Saxonica et Brandenburgica, non quod hisce omnium reliquarum Provinciarum Germaniae jura absolvantur, quippe quae ut ipsa tot diversa imperia ab antiquissimis temporibus nunc discrepantia, nunc in multis juris capitibus consona vidimus, sed ut quidem conjicio, ne ultra praeslitutos limites excrescat haec tua tractatio. Ipsa servitutis indoles habet in Germania hoc singulare, ut saepe in una eademque Provincia longe diversa ejus ratio inveniatur, et quam vera quoque sint ea, quae ex Constitutionibus Saxonis in genere adduxisti, possem tamen de rusticis patriae meae Lusatiae superioris, sub jurisdictione Civitatum et monasteriorum Marienstern et Marienthal degentibus tuto affirmare, eos plena gaudere libertate, et eorum censum ac quasdam operas determinatas vix umbram servitutis referre, quapropter libere vendunt ac commutant praedia, et liberi eorum quomodocunque contigerit, operas suas cui libuerit, locant; imo de ipsis litteris dimissoriis, cum liberi nascentur, nulla quaestio illis unquam movebitur. Interim haec et multa alia quibus locupletari tua Dissertatio, potuisset, molem quidem sed non ipsorum argumentorum vim ac potestatem ad auxissent, hinc nec quicquam addere volui quam ut hisce publice testatum redderem, quantopere probem tua condamina tuumque laborem, quem in Academia nostra fere per triennium optimis scientiis exhaustisti, quibus omnibus consecutus es, ut dignus possis judicari beneficii Regii, quod in Te collatum, dignus quem aemulentur reliqui Tuisque insistent vestigiis, imo dignus, qui et aliquando patriae et ipsis litteris ornamento ac venerabili Tuo Parenti ingenti solatio futurus. Dab. e Museo die V. Octobr. MDCCLIV.



UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT

Frankfurt a. O., Diss. 1751-55.

ULB Halle

004 590 635



3

f

sb.

WD 78/20172



Bi 39. num. 7
1754, 3 9

DE
RE COGENDI SVBDITOS
AD
INCOLATVM

ET
FAMVLITIVM

PRAESIDE
VIRO

EXCELLENTISSIMO ATQVE AMPLISSIMO
ANNE FRIDERICO POLAC

V. D. PROF. IVR. ET MATH. PVBL. PVSS. ACADEMIAE
SCIENTIARVM SOCIO

DIE VIII. OCTOBR. MDCCLIV.

DISPV TAT

AVCTOR

MVEL AVGVSTVS GOLDBECK
STENDALIENSIS PALAEO-MARCHIVS.

FRANCOFVRTI AD VIADRVM,
PIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI,
ACAD. REG. TYPOGR.

